297

70.



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Jovis undecimâ Januarii Anno M. DCC. XLII.

M. LUDOVICO-FLORENTIO BELLOT,
Doctore Medico, Præſide.

An, in diuturnioribus evacuationibus, rarò Adſtringentia?

I.



PAULATIM exhauriunt corpus evacuationes quæ naturæ modum excedunt diutiùſque perſeverant. Infirmatur enim in dies tandemque concidit vis illa quâ vivimus, quâque functiones exercentur, ubi, continuâ humorum utilium egeſtione, ſuo pabulo defraudantur partes. Quocumque modo fiant, à quocumque loco fluant evacuationes quæ vehementiores ſunt, ſi diù protrahantur, eamdem perniciem af-

ferunt. Sic in eodem ſtatu ſubſiſtere non poſſunt, ſed quaſi ruinâ retro revolvuntur quibus aut fuſior alvus eſt, aut jam durat ſanguinis profluvium. Sic enervantur & contabeſcunt quas pertinaciter infeſtat, mulieribus adeò familiaris, ſolique parcens infantiæ, fluor albus. Nec minora ſecum invehit incommoda, hominem debilitans, ſuccorumque reficientium ſpoliator, Diabetes. Modo non diſpare, vires exolvuntur, ubi fere id omne, quod in nutrimentum aſſumptum eſt, nocturnis ſudoribus diffluit.

I I.

LONGARUM evacuationum effectus idem, cauſa multiplex. Scilicet ſuccorum lentor, obſtructio partis, egerendi humoris appulſus uberior & patentior exitus. Turgere vaſa uteri, etiam ultrà modum menſtruis fluentibus, ſatis evincunt lumborum coxarumque pertinax dolor, & gravitatis in hypogaſtrio ſenſus. Exuperantem hanc aggeſti ſanguinis molem, unde varicibus vaſa tument & dehiſcunt, procul dubio lentor efficit, conſpirante interdùm fibrarum rigore. Rarò continuat hæmorrhagia quam fecit ſanguinis juſtò fluidior *craſis*. Omnem diarrhœam antecedit alterius excretionis defectus: Idem de ſudoribus nocturnis judicium eſto. Quemadmodùm enim, apertis quæ ſudori & perſpirationi exitum præbent oſtiis, ſiccatur alvus; ſic illa liquidior eſt, ubi his effluviis via intercluditur. Itaque hàc negato humoribus tranſitu, aliò confluunt, aſſiduoque impetu iter ſibi ſternunt eò facilius, quod continuo diluvio laxatur partis ad quam excurrunt textura. Ergò ſi diuturnis tutò mederi vis evacuationibus, impedimenta remove quæ legitimæ humorum diſtributioni obſtant. Hunc ſcopum raròattinges Adſtringentibus.

I I I.

ADSTRINGENTIA medicamenta vocant, quæ tenuiorem & plùs æquo evolutam ſuccorum *craſim*, ad debitum craſſitudinis & quietis gradum reducere valent, adeoque immodicam egeſtionem ab eorum ſubtilitate & concitatiore motu exortam cohibere. Ex iis, nonnulla Abſorbentibus affinia ſunt; plurima glutinoſis conſtant partibus; alia potentioris efficaciæ, ſalibus fœta ſunt ſaporis acidi vel auſteri plùs minùſve terrenâ ſubſtantiâ involutis. Hæc verè Adſtringentia ſeu *Styptica* perhibentur, cum non modò majorem humoribus craſſitiem inducant, ſed inſuper fibris admota laxiorem earum texturam validè ſtringant & quaſi corrugent. Inde patet in quo differant ab Adſtringentibus *Tonica*. Hæc enim ſpiritus erigunt, fibras ad

valentiores motus suscitant, humores agunt & extenuant: illa solidorum vim coercent, densantque succorum molem. Quantùm autem utilitatis præ se ferunt Adstringentia in sistendis evacuationibus quas promovet humorum dissolutio, tantùm afferunt noxæ in iis quibus ansam causamque præbet obstructio. Siquidem morbus non tollitur sed mutatur. Presso namque pede Cachexia sequitur aut Hydrops immedicabilis. Cum autem paucæ perdurent egestiones præternaturales quas non excitent partis alicujus infarctus humorumque tarditas & lentor, raram inveniet usurpandorum adstringentium occasionem emunctæ naris Medicus.

I V.

NIHIL repugnante naturâ Medicina proficit. Evacuationum diuturnarum finem frustrà moliris, si non satis tibi perspecta est causa quæ inordinatas humorum excursiones promovet. Ne igitur ludas operam; quid eas præcesserit, quæ assueta defecerint, sollicitus inquiras. Sic, malè judicatis febribus sudores nimios alvique profluvia, suppressis iis quæ juxta consuetudinem fluebant, hanc vel illam sæpissime succedere evacuationem intelliges. Tunc, retentis menstruis supervenientem narium hæmorrhagiam, non adstringentibus, sed iis quæ devium sanguinem ad inferiora revocant aut infarctus uteri solvunt, compescere meditaberis. Tunc viscerum colluviem fœcundam putredinis dissolutionisque parentem purgantibus eluendo, uberiorem siccabis sudorum scaturiginem. Nec stupebis, nihil juvantibus *Stypticis*, dysenteriam attenuantibus sanari, aperientibus diluentibusque fluorem album, Diabetem *Tonicis*, *Diapnoicis* importunam catarrhorum illuviem, Catharticis & Narcoticis diarhœam. Quæ quidem remedia, non, Adstringentium more, fibras validius coarctant, succosque inspissant, sed tardis pigrisque humoribus debitum fluiditatis gradum conciliant, noxia eliminant, pristinum fibris restituunt vigorem adeoque obstructionis causas diluunt. Define ergò ejusdem remedii dispares effectus mirari. Menses cientur à *Martialibus* quæ uteri contumaces hæmorrhagias cohibent. Dysenteria curatur *Acidulis* quæ aliis strictam alvum ducunt. Sublatis enim obicibus quæ æquabilem succorum distributionem arcebant, functionum ordinem brevì restitutum iri palàm est.

V.

MALE rebus ægrotantis prospicitur, ubi superstite primariâ causâ, diuturniores evacuationes adstringentibus præpediun-

tur. Scilicet in deterius immutari morbum liquet, auctâ partis obstructione, aut translatis ad viscera pravis humoribus. Hinc suppressis hâc pessimâ methodo hæmorrhagiis aliisve profluviis, ulcera, scirrhos, hydropem & cætera ejusdem perniciei mala præstò sequi novum non est. Objicies, fractis jam morbo viribus, effœtâ proinde fibrarum virtute, universam dissolvi sanguinis molem; idque vitium tolli *Stypticis*, Attenuantibus augeri. Verùm languente arteriarum motu crassescunt humores. Certiorem longioribus quàm recentibus dysenteriis affert medelam radix Brasiliensis. Illa tamen incidit, dividit, attenuat. Non ideo ableganda censemus Adstringentia; suum è contra symbolum conferant ad cohibendas diuturniores evacuationes auctores sumus, quotiescumque, nullâ remanente obstructione, stringi tantùm postulat debilitatæ partis laxitas. At rarò hæc contingunt.

Ergò, in diuturnioribus evacuationibus, rarò Adstringentia.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Baptista-Ludovicus Chomel, Medicus Regis ordinarius.

M. Hyacinthus-Theodorus Baron.

M. Ludovicus-Maria Pousse.

M. Antonius Casamajor.

M. Raymundus de la Riviére.

M. Franciscus-Josephus Hunauld, Regiæ Scientiarum Academiæ, & Regiæ Societatis Londinensis Socius, in Horto Regio Anatomes & Chirurgiæ Professor ac demonstrator.

M. Joannes-Baptista Mongin, Medicus Regis ordinarius.

M. Michaël Procope Couteaux, Scholarum Professor.

M. Joannes Claudius-Adrianus Helvetius, Regi à Sanctioribus Consiliis, Reginæque Medicus primarius & è Regiâ Scientiarum Academiâ.

Proponebat Parisiis URBANUS DE VANDENESSE, Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1742, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1742.